



Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

57. De vidua quæ sub obtentu religionis velum ad tempus sibi imposuerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

416 PRIMA APPENDIX
fidem quam cum Deo pepigerunt frangere
præsumperunt, atque primam fidem præva-
ricaverunt, sunt damnandæ à nobisque & à
vobis atque à reliquis nostri ordinis viris, à
singulis videlicet sua in dioecesi, à liminibus
Ecclesiæ & à cœtu fidelium usque ad satisfa-
ctionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ.
A talium autem consortio & societate omnes
fideles in omnibus abstinere mandamus. Su-
per quibus etiam placuit, quousque in ipso de-
testando & illicito atque sacrilego carnis con-
tubernio perseverant, ut nullus Christiano-
rum, nisi quibus proprius studio corrigendi
jussierit Episcopus, cum eis in quoquam com-
municet, aut ad domum in qua sunt accedit;
cum quibus etiam, ut jamdictus præcepit
Apostolus, nulli fidelium cibum sumere licet.
Quod si quis ex his quicquam tentare aut te-
merare præsumperit, pari cum eis excommu-
nicationis sententia feriatur.

De vidua quæ sub obtentu religionis velum
ad tempus sibi imposuerit. Cap. v.

Burchard. lib.
8.c. 47.

LVII. Nicolaus Episcopus servus ser-
rum Dei reverentissimo & sanctissimo confa-
tri nostro Adalvvino sanctæ Juvavensis Eccle-
siæ Archiepiscopo. Quod autem interrogasti
de femina quæ post obitum mariti sui vela-
men sacrum super caput suum imposuit, &
finxit se sub eodem velamine sanctimoniale
feminam esse, postea vero ad nuptias rediit,
bonum videtur, quia per hypocrisim ecclesia-
sticam regulam conturbare voluit, & non le-
gitime in voto suo permanxit, ut pœnitentiam
agat

agat de illusione nefanda, & revertatur ad id quod spopondit & in sacro ministerio inchoavit. Nam si consenserimus quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, & non verè fiat, omnis ordo ecclesiasticus perturbatur, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni mago baptismum sacrum sicut è suscipere & in Christianitate permanens se finuisse, cum per Apostolum fraus ejus detesta, quid sibi futurum esset pronuntiatum est. Ait enim: *Pecunia tua tecum sit in perditione. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum ut forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligacione iniquitatis video te esse.* Ideo tales, nisi refisplicant, spiritali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri; sicut Ananias & Saphira mentiti sunt, & statim perierunt.

De pœnitentibus viris ac viduis sive virginibus qui divertentes laici sunt, aut vestem mutant, vel conjugiis copulantur.

Toletanum Concilium iv. cap. lv.

LVIII. Quicunque ex secularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes, laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per penitentiam inrevocabiles sunt, nec admonitione revertuntur, verè ut apostatae coram Ecclesia ut anathematis sententia condementur.

D d

Burchard. lib.
8. c. 274